

05

A

2474





5
PRÆCOGNITORUM THE-
OLOGICORUM

DISPUTATIO V.

DE SEQUEN-
TIBUS QUATUOR ME-
DIIS SPECIALIS ET ACROA-
MATICÆ COGNITIONIS
THEOLOGICÆ,

Quæ sunt,

Consiliorum Theologorum annotatio,

Historiæ Ecclesiasticæ cognitio,

Præcorum Patrum evolutio,

Theologiæ Scholasticæ & Casuisticæ cognitio.

Quam

Annunte Altrissimo

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEIS-

NERI, S.S. Theol. D. & P.P.

Ad placidam συζήτησιν,

Proponit

M. JOHANNES ZEISOLDUS,

Altenburgo-Misnicus,

Ad 14. Aprilis.

In Auditorio Minori.

Witteberga, Typis Johannis Gormanni,

Anno M. DC. XXV.

DE SEQUENTIBUS
TIBUS QUALIOR ME
DUS SPECIALIS ET AGROA
MATERIA THEOLOGICA
THEOLOGICA



4742 A 50

Dr. BALTHASARIS MERIS

MERIS, Balthasar, D. & R. P.

JOHANNES SEISSOPDUS

Abhandlung-Mittheilung

und in

In 2 Bänden Minor

In Auftrag von Johann Friedrich





Eu. h. c.

DISPUTATIONIS QUINTAE.

THEOREMA I.

Quintum Medium est Consiliorum Theologorum, de Quintum
Casibus Conscientia, de Causis Matrimonialibus, de Medium.
Ritibus & gubernatione Ecclesiae, & similibus mate-
rijs agentium, annotatio & collectio.

Hactenus de Acroamaticâ & accuratâ Theologiæ cogni- *Continua-*
tione, ejusq; requisitis & Mediis quatuor prioribus, quæ fuerunt *tio & cum*
1. accurata Scripturæ lectio & meditatio. 2. accurata Libb. *precedenti-*
Symbolicorum evolutio. 3. plenior Locorum Theologorum *bus conne-*
seu Controversiarum consideratio & collectio. 4. Locorum *xio.*
Practicorum vel in Concionibus adhibendorum annotatio &
collectio. De his, inquam, præcedente Disputatione dictum
est. Nunc succedunt alia quatuor Media, ut sunt 1. Consilio-
rum Theologorum annotatio & collectio. 2. est paulò plè-
nior Historiæ Ecclesiasticæ consideratio & cognitio. 3. est pri-
scorum Patrum evolutio. 4. est aliqualis Theologiæ Scholasti-
cæ & Causidicæ cognitio. Quatuor hæc Media ordine confi-
deranda & explicanda veniunt, & quintum quidem positum
est & expositum Theoremate hoc primo. Circa illud autem
in limine videndum est de duobus: 1. de ejus *necessitate.* 2. de
ejus *utilitate.*

Primo igitur & ante omnia constare debet, quoad rem i- *Medij hujus*
psam, de *necessitate* hujus Medii. Necessarium hoc est medium, *necessitas.*
quia ad Praxin Theologicam quam proximè accedit, illamq; vel
maximè respicit, inculcat & unicè postulat, qua sine Theolo-
gum accuratum & laudatum non dixeris. *Ista autem necessitas* *Necessariū*
potissimum consistit in duobus, vel *propter duo* inculcatur: 1. pro- *propter duo.*
pter *Theologi perfectionem.* 2. propter *Ecclesiae provectionem.* Hi duo



Scopus & intentio Theologi, secundum Dei gloriam, unice debet esse salus Ecclesie. Medii hujus utilitas.

enim sunt generales & principales fines Theologi & studij Theologici, scilicet propria perfectio & Ecclesie profectio seu edificatio. Hæc duo Theologus unice sibi proposita habeat, ad illa ipsa totum suum dirigat studium Theologicum, unde postmodum summus & ultimus finis, scilicet gloria Dei, ultrò consequitur. Ad hos igitur fines acquirendos necessario debet adhiberi medium modò positum, quippe quod necessarium esse diximus, primò propter Theologi perfectionem. Debet enim omninò ille varios nosse Casus, Causas item & rationes decidendi & dijudicandi; similiter varios Ritùs & Ceremonias variarum Ecclesiarum, prout scilicet hoc vel illo tempore in Ecclesia aliqua adhibitæ & usurpatæ fuerunt. Debet insuper sapienter singula discernere & dijudicare, prudenter applicare & usurpare, pro statu cujusq; Ecclesie, pro statu & conditione Loci, Temporis, & aliorum, quæ observari possunt & debent. Necessarium est deinde propter Ecclesie profectionem; non enim tam propter se, quam propter Ecclesiam Doctor Theologus tantam in res Sacras impendit operam, vel maximè, inquam, propter Ecclesiam, ejusq; commodum & salutem. Ecclesie enim præesse & prodesse debet; ut autem benè præsit & utiliter proficit, necessum est, ut ejusmodi mediis instructus sit.

Deinde multiplex est *Utilitas* hujus Medii. In genere verò loquendo, utile est illud ipsum tam respectu Personæ seu Doctoris Theologi, quam respectu Ecclesie. Respectu Personæ, quam perficit, ornat, commendat; respectu Ecclesie, quam afficit, movet, edificat. Specialiùs verò procedendo, possunt usus & utilitatis istius distinctæ classes constitui, ut patebit. Igitur ejusmodi rerum cognitio facit 1. *ad multorum locorum Scripturæ partim intelligence partim illustrationem*, puta ubi de Conscientiâ, ejusq; vel tranquillitate vel intranquillitate, de variis Ritibus & Ceremonialibus, de rebus etiam matrimonialibus tractatur, ibi possunt hujusmodi lecta & collecta illustrationis loco adhiberi & dextrè applicari. 2. *facit ad multorum doctrinalium annotationem*. Haurire enim inde possumus multa moralia, exempla virtutum & vitiorum, præmiorum & pœnarum, &c. 3. *facit ad fidelem officii Ecclesiastici administrationem & Ecclesie gubernationem*, ut omnia fiant *εὐχρημόνως καὶ κατὰ τὰ ἔω*, ordine & decenter.

center. 4. conducit partim ad informationem, partim ad consolationem Ecclesie, quin & ad dehortationem à vitiis & peccatis, adq; exhortationem ad studium Pietatis, scil. ut rudes informantur, pii in pietate confirmantur, impii ex impietate evocentur & liberentur. 5. facit ad multarum rerum Politicarum cognitionem, item Ordinis Ecclesiastici & Politici distinctionem. Multa enim hic communia habent Theologi & Jure Consulti, cum primis de rebus Matrimonialibus, ubi plurima occurrunt, quorum partem Theologi, partem Jure Consulti sibi vendicant. Ut igitur ejusmodi Casus & Causas sapienter & prudenter decidere possit Theologus, oportet illum in omnium istorum cognitione optimè versatum esse.

THEOREMA II.

Modus Colligendi potest esse triplex: 1. Si consilia Bidenbachii legantur & familia reddantur.

Modus legendi & colligendi.

Haec tenus de re ipsa, scil. de lectione & collectione Consiliorum Theologicorum, nunc lectionis & collectionis modus indigitatur. Quod verò attinet hunc ipsum, gemina dari potest via: vel strata & parata, vel sternenda & præparanda, h. e. potest collectio institui vel cum aliis & ad aliorum modum sive methodum, vel ad proprium cerebrum sive ad proprium placitum. Priorem modum quod concernit, illum expressit Theorema positum, scil. non abs re esse, si Consilia Bidenbachii legantur & familiaria reddantur. Deinde quæ ibi desunt, & in aliis inventiuntur Autoribus, peculiari Libro *περὶ τῶν ἐπιπέπων* annotentur, secundum ordinem & seriem in Consiliis Bidenbachii observatam.

THEOREMA III.

2. Si peculiare Loci colligantur, & tituli eorundem secundum literas Alphabeti collocentur & disponantur.

Et hoc Theoremate exprimitur posterior via seu modus colligendi, qui scil. est ad proprium placitum, sive secundum propriam intentionem & titulorum collocationem. Quantum verò ad propriam hanc collectionem ejusq; modum, potest is contingere dupliciter: scil. si vel petatur ex ordine & serie Alphabeti, vel ex ordine & serie rerum. Unde duplex modus colligendi ejusmodi Locos emergit: *Vulgaris & confusus; accuratus & distinctus.*

De vulgari & confuso loquitur præfens Theorema, quando nimirum dicit, posse titulos collocari & disponi secundum literas Alphabeti. Verum hæc via non videtur esse accurata & probata, præcipue quia est *ἀμείδωτος*, à viâ & ratione docendi discendiq; deflectens & degenerans.

THEOREMA IV.

3. *Si aliqua ἀκριβεία adhibeatur, & Consilia ista non secundum literas Alphabeti, sed secundum accuratam seriem rerum Theologicarum disponantur.*

Et hæc est accurata ratio colligendi ejusmodi Locos, quæ ex ipsis rebus rerumq; ad se invicem habitudine desumitur & distinctè traditur. Multum enim hoc in negotio facit methodus & methodica tractatio, & ex omni parte vel maximè attendenda est, & in omnibus. Si enim res nulla est, quæ judicium Viri docti probat & confirmat, quæq; memoriam juvat, certè methodus est. Nec contrà quispiam mentis stuporem magis arguit, memoriamq; & judicium suum magis turbat & labefactat, quàm qui omnia confundit, ne prima mediis, & media imis cohæreant, vel, ut est in vulgato Proverbio: qui galeam tibiæ, ocream capiti induit. In quam sententiam venustè & eleganter inquit Quintilianus: quemadmodum lapides sine bitumine nil nisi rudes & indigesta moles sunt: sic quodlibet ingenii opus sine methodi calce, non artificiosa structura, sed informis coærvatio est, sine ullo decore, sine ullo fructu. Quapropter vel maximè in præfenti negotio, pro objectorum & Casuum varietate conveniens ordo & dispositio seu collocatio titulorum instituenda est.

THEOREMA V.

Autores, qui legendi.

Deniq; notandi sunt Autores, qui ad hoc Studium Legi & adhiberi possunt.

Autores v. ad hoc studium legi & adhiberi possunt sequentes: *Lectiones Dn. D. Balduini de Casib. Conscient. Volumina Consiliorum Theologicorum à Dedekenno collecta. Strigenitij Conciones de Conscient. Praxis Theologica Mampbrasij. Theologia Casuum Alstedij. Perkinsij de Casib. Conscient. Zepperus de Politiâ Ecclesiasticâ & LL. Mosaicis. Bucerus de Regno Christi.*

Toletus

Toletus de Instructione Sacerdotum. Institutiones Morales Azorij.
Addantur Agenda Ecclesiastica, diversis in locis edita & usurpari
solita, in quibus multi Casus habentur decisi, & secundum quæ
alii etiam Casus decidi & dijudicari debent.

THEOREMA VI.

Sextum Medium est paulò plenior Historia Ecclesiastica *Sextum
Medium.*
consideratio & cognitio.

Ubi iterum inculcanda Studij Historici, præsertim Histo-
riarum Ecclesiasticarum, 1. *Necessitas.* 2. *Jucunditas.* 3. *Utilitas.*

Primo est necessarium hoc Medium. Oportet enim Theolo- *Hujus Me-
dij neces-
sitas.*
gum distinctè nosse tempora & priscas ætates, ætatum disci-
mina, varia hominum (præcipuè Ecclesiæ Doctorum) gesta,
scripta, &c. item distinctos Ecclesiæ statûs, ritûs, &c. Opor-
tet Theologum veterum certaminum & judiciorum primitivæ
Ecclesiæ habere cognitionem, quæ ex vetustissimis Patribus &
Historicis, ex Actis Conciliorum, ex Canonibus Juris, aliisque li-
bris haurienda & diligenter excolenda est. Unde ad summum
hoc Medium & Studium necessarium est 1. tum ad *Theorian* tum
ad *Praxin* Theologicam. *Ad Theorian*, quia maximum habet
commercium cum Historiis Biblicis earumque cognitione & intel-
ligentiâ, quia facit ad Patrum lectionem & intellectionem, quia
facit etiam ad Hæresium indagacionem, discriminationem &
refutationem, &c. quæ ad *Theorian* pertinent. *Ad Praxin*,
quia facit & conducit ad docendum publicè, seu populum in Ec-
clesiâ, seu piam Juventutem in Scholâ, quia suppeditat multa
doctrinalia, moralia, consolatoria, & quæ sunt alia, quorum
Catalogum suo loco subjungemus. *Ista a. omnia clarè evin-
cunt, Historiæ Ecclesiasticæ cognitionem necessario prærequiri
in accurato Theologo.* Unde ulterius consequitur, esse isthoc
Medium necessarium. 2. tum ex parte Theologi, tum ex parte Ec-
clesiæ, scil. *ad Theologi perfectionem*, qui Historiarum Biblicarum
& Ecclesiasticarum accuratam debet habere notitiam & cog-
nitionem: & *ad Ecclesiæ edificationem*, quæ de veteri Ecclesiæ statu
& facie, de Ritibus & Ceremoniis Ecclesiæ, quin & de aliis
multis informanda est.

Deinde est studium suave & jucundum, quia vel maximè ob- *Suavitas.*
lectat animos legentium, quin & audientium, quando nimirum
certi

certi reddimur de Ecclesie conservatione, quomodo Ecclesia Christi per tot secula tam mirabiliter conservata fuerit, quod licet quam sapissimè pressa, non tamen oppressa sit; de Ecclesie gubernatione, quomodo nimirum à pio Magistratu & Doctoribus Ecclesiasticis isti prospectum sit de salutaribus mediis, tam Doctrinam quam Ritùs & Ceremonias spectantibus; de Ecclesia propagatione, quomodo ad nostra usq; tempora conservata & propagata sit, & si quæ sunt alia, quæ numero plurima, pondere gravissima, in Historiis Ecclesiasticis lectu jucunda & notatu digna occurrunt.

Utilitas.

Tertio est utile Medium, est utile studium & fructuosum, si spectes vel Doctorem Theologum, in quo Historiæ Ecclesiasticæ lectio & cognitio prærequiritur & præexigitur, vel Ecclesiam, quæ de prisco Ecclesie statu, prospero successu, præcipuè de mirabili ejus conservatione & propagatione, informanda & instruenda est. Unde in universum usus seu utilitates ex lectione Historiarum Ecclesiasticarum redundantes ad sequentia capita possunt reduci. 1. facit ad scripturæ explicationem & Historiarum Sacrarum intellectionem. 2. insinuat mirabilem & continuam Ecclesie conservationem contra hæresium & persecutionum oppugnationes; unde fontes consolationum hauriri & peti possunt, scilicet quod Deus tam mirabiliter suam hucusq; conservaverit Ecclesiam, quodq; hodiè etiã illam in suo flore & vigore conservet atq; in posterum conservare velit. 3. conducit ad meliorem hæresium explorationem & confutationem. Nullum enim est seculum, in quo non Hæretici vixere, atq; sic illorum ingenium per tot secula optimè potuit innotescere, & sic ansa dari, illos meliùs atq; meliùs convincendi & confundendi. 4. insinuat sanam sanæ Doctrinæ & Religionis Christianæ propagationem, siquidem innotescit exinde Religionis per tot secula probata & confirmata certitudo. 5. facit ad Regiminis Ecclesiastici constitutionem & descriptionem, ad variorum Rituum Ecclesiasticorum cognitionem, scilicet ubi distinctè percipimus, quæ Ceremoniæ hic vel illic, hoc vel illo tempore in usu fuere. 6. suppeditat multorum moralium & doctrinalium, item multorum Consiliorum Theologorum cognitionem & annotationem. Ibi multarum & insignium rerum delectus, ibi multa occurrunt exempla virtutum & vitiorum, premiorum & pænarum, unde

unde Nazianzenus Historiam vocavit *συμφρετικὴν φιλοσοφίαν* cumulatam Philosophiam. 7. facit ad publicam informationem seu instructionem, ad docendum publicè, seu populum in Ecclesiâ, seu piam juventutem in Scholâ; ad corrigendam *ἀταξίαν*, & erigendam stabiliendamq; *εὐταξίαν* Ecclesiasticam, Politicam & Oeconomicam; ad danda salubria consilia, quoties vel privatim vel publicè de re aliquâ ferendum iudicium. 8. conducit ad Patrum lectionem & intellectionem; Patres n. scripta sua semper accommodârunt ad statum seculi sui, unde multa in illis occurrunt Historica. 9. facit etiam tandem ad animi recreationem, siquidem animum honestâ recreatione exhilarat & studia graviora temperat.

THEOREMA VII.

Notentur Historici, qui legendi.

Qui Historici sint legendi, & quomodo respectu diversarum ætatum sive temporum distinguendi, exponendum est. *Historicorum Catalogus.* autem vel *Sacram* vel *profanam* descripserunt Historiam. *Sacra* vel *Vetus Testamentum & Iudaismum*, vel *Novum Testamentum & Christianismum* attinet. *Iudaicam Historiam & tempora Veteris Testamenti* descripsit *Iosephus* in libb. de Antiquit. Judaicis & de Bello Juda. *Torniell.* in Sac. Annalibus. *Sigonius* in Republ. Judæorum. *Hospinianus* de Festis Judæor. *Christiane Historie* de scriptores vel sunt *antiquiores* vel *recentiores*. *Antiquiores* sunt *Egesippus, Eusebius, Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus.* Ex *Socratis* verò *Theodoreti & Sozomeni Historiis*, unum volumen, libb. XII. constans collegit *Cassiodorus*, & vulgò appellatur *Historia Tripartita*. *Evagrius, Nicephorus, Zonaras, Nicetas, Gregoras*, qui tres autores, sicut & *Laonicus Chalconditas*, potissimùm *Orientalis Ecclesiæ* descripserunt Historiam; *Chronica Prosperi & Marcellini, Orosius, Sulpitius, Sigebertus, Gemblacensis, Abbas Ursbergensis, Chronicon Trithemij, Annales Aveniini*, qui omnes *Occidentalis Ecclesiæ* Historiam cum primis contexerunt & conscripserunt. *Recentiores* vel *universam Historiam Novi Testamenti*, complexi sunt partim prolixè, ut ex nostris *Centuriatores Magdaburgenses*, & *Osiander* in Epitome. Quibus addi possunt *Centenarij Lectionum memorabilium Ioban. VVolfij.* Ex Pontificiis, *Baronius* in Annalibus, & ejus Epito-



Epitomator: *partim* breviter per modum succinctæ Chronologias, ut *Funccius*, *Bucholtzerus*, & cum primis *Calvisius*, quibus addi possunt Tabulæ Historiæ *Helvici*, utriusq; Testamenti Historiam breviter annotantes. Vel *particularem duntaxat hujus ultimi seculi Historiam*, consignarunt, ut *Sleidanus* & ejus continuator, *Caspar Lundorpius*, *Tbuanus*, & similes. Quibus Historicis ut annumerentur *Legenda Aurea*, *Sarius* & *Cochleus*, nimis crassa eorum mendacia vix admittunt. Quæ autem *Platina* scripsit de *Vitis Pontificum*, & *Polyd. Virgilius* de *Rerum Inventoribus*, ea lectione non indigna sunt.

Historici
profani.

Quod attinet *profanos Historicos*, neq; illi prorsus sunt negligendi, sed diligenter legendi, ut sunt *Berosus*, *Herodotus*, *Thucydides*, *Xenophon*, *Theodorus Siculus*, *Polybius*, *Appianus*, *Livius*, *Salustius*, *Cesar*, *Suetonius*, *Florus*, *Iustinus Sabellicus*, *Plutarchus*. Ex quibus omnibus *Carion* & *Philippus* suum *Chronicon*, *Dresserus* suos *Milennarios*, *Pezelius* & *Lampadius* suum *Mellificium* collegerunt & conscripserunt.

THEOREMA VIII.

Modus legendi & colligendi.

In lectione Historia, præsertim Christiana, & Novi Testamenti, certi semper tituli in conspectu sunt habendi, ad quos omnia, quæ legimus, referri debemus, ut ita Loci Historici paulatim colligi & consignari possint.

Et hoc Theorema modum legendi & colligendi insinuat, qui consistit in hoc, ut certi semper tituli in promptu sint, ad quos omnia referantur. Tituli v. præcipui esse possunt sequentes: 1. de Conversionibus Gentium & propagatione Ecclesiæ. 2. de persecutionibus 3. de Martyribus. 4. de doctrinâ publicâ in quovis seculo. 5. de Ritibus Ecclesiæ. 6. de regimine vel gubernatione Ecclesiæ. 7. de Cœnobiis & Scholis. 8. de Hæresibus & erroribus manifestis. 9. de Schismatibus & certaminibus levioribus. 10. de Conciliis. 11. de Orthodoxis Doctoribus & Episcopis. 12. de Hæreticis & seductoribus. 13. de miraculis & prodigiis. 14. de Romanis Imperatoribus. 15. de Romanis Pontificibus. 16. de Judaismo. 17. de Gentilismo. 18. de Turcismo. 19. de Rebus politicis. 20. de singularibus virtutum & vitiorum exemplis, unâ cum aliis moralibus.

THEO

THEOREMA IX.

Septimum Medium est priscorum Patrum evolutio.

*Septimum
Medium.*

Ubi iterum distincta hujus ἐξηγήσεως membra constituen-
da sunt. Videnda igitur 1. Patrum *autoritas & dignitas.* 2. lecti-
onis *necessitas.* 3. *ejus utilitas.*

De primo; Magna quidem Patrum est dignitas, sed depen-
dens & limitata autoritas. Generatim enim loquendo, Patrum,
ut & Neotericorum scripta, quocunq; veniant nomine, S. Lite-
ris nequaquam sunt comparanda vel æquiparanda, sed univer-
sa illis ita subijcienda, ut aliâ ratione non suscipiantur, nisi te-
stium loco, qui doceant, quòd etiam post Apostolorum tempo-
ra & in quibus Orbis partibus, doctrina illa Prophetarum & A-
postolorum sincerior conservata sit, ut habet *Form. Conc. Lips. ed.*
in 8vo. p. 571. Deinde possumus hac de re specialius loqui & distin-
ctius procedere, expediendo hoc negotium 1. aliquot distinctio-
nibus. 2. aliquot conclusionibus.

*Patrum
autoritas.*

Quoad prius, distinguendum est 1. inter *autoritatem pri-
mam & absolutam,* & *inter autoritatem quasi secundam & limitatam:*
illa est independens, hæc dependens; illa divina est, hæc humana;
illa propter se, hæc propter aliam priorem accipitur. Intelligitur
v. dependentia in ordine essendi & probandi, scil. *autoritas pri-
ma & independens ex se facit fidem; autoritas v. secunda est per
& propter primam, etiam probat & fidem facit per & propter
primam.* Unde mox insinuatur distinctio inter *normam primam
& primariam,* & *inter secundam seu secundariam.* 2. *Patres & patrum
scripta* possunt dupliciter considerari: scil. *vel conjunctim & in
complexione, vel disjunctim & in distinctione* vel potius *separatione.*
Nunc sequuntur aliquot Conclusiones.

*Duplex au-
toritas.*

*Duplex
norma.*

*Patres du-
pliciter con-
siderantur.*

1. *Concl. Sola Scriptura est autoritatis absoluta & indubia, atq;
proinde prima & primaria norma in rebus fidei.* Bimembris est Con-
clusio: prius membrum agit de Scripturæ autoritate, poste-
rius de normæ infallibilitate. De priori patet, quia Scriptura
divina est; est enim divinitus inspirata, 2. Tim. 3, 16. est potentia
Dei, Rom. 1, 16. Ergo divinam habet autoritatem. Deinde prius
& superius non potest quoad autoritatem dependere à poste-
riori aliquo & inferiori. Scriptura Sacra est prior & superior
quocunq; alio, cujus autoritatem forsan quis jactitare præsu-
meret.

1. Concl.

meret. Ergo Scriptura non potest auctoritatem & dependentiam suam habere ab aliquo inferiori. Quoad alterum, similiter Conclusionis veritas patet, & quidem 1. ab attributis & proprietatibus scripturæ, scil. quæ perfecta, *Psal. 19, 7.* 2. *Tim. 3, 16.* quæ perspicua, *Psal. 19, 9.* *Psal. 119, 105.* 2. *Pet. 1, 19.* 2. quia normæ ac judicis appellationem à Spiritu S. soli sibi attributam habet, *Psal. 19, 5.* *Iob. 12, 48.* *Hebr. 4, 12.* Quicquid v. dicto modo se habet, illud ipsum est vera norma ac regula veritatis in rebus fidei. Scriptura S. ita sese habet, ut demonstratum. Ergo &c. Id quod alibi probatur & explicatur.

2. *Concl.*

2. *Concl. Patrum scripta non sunt auctoritatis indubia, & proinde non sunt primaria fidei norma.* Bimembris itidem est Conclusio, cujus quidem veritas patet, per priorem, scil. quia Scriptura S. quoad auctoritatem est independens ac indubia, & quidem sola quia sola perfecta ac perspicua, &c. nihil præter illam ipsam obtinebit absolutam & independentem auctoritatem judicandi; infallibilitatem; & vicissim, quia sola scriptura est rerum fidei norma, nulla alia erit, præter illam ipsam, fidei norma. Ergo nec Patrum Scripta Fidei ac Religionis norma esse possunt. Et confirmatur ulterius, quia illa, scil. Scriptura S. est à Deo per immediatam inspirationem; Patrum scripta sunt ab hominibus per mediatam scripturarum meditationem adq; illas conformationem. Proinde credimus scripturæ propter se ipsam, Patribus v. propter scripturam. Et quoad hoc ipsum, probatur id ulterius à proprietatibus Normæ, scil. 1. *Norma in rebus fidei debet esse auctoritativa.* Sed Patrum scripta ac sententiæ non sunt ejusmodi. Ergo. 2. *Norma debet esse perpetua & immutabilis.* Id quod dupliciter potest intelligi: 1. *de perpetuitate temporis & durationis*, idq; vel à parte antè, vel à parte post, vel utraq; modo. 2. *de perpetuitate valoris.* Neutro modo Patrum scripta sunt perpetua. Ergo non possunt esse Fidei norma. Anteced. patet, quoad prius quidem, quia Patrum scripta non semper fuerunt in Ecclesiâ. Si verò essent norma veritatis, quæ fuisset in Ecclesiâ norma, cum nulla adhuc exstarent Patrum scripta. Neq; durabunt semper, sed perire & interire possunt. Quoad posterius, scil. perpetuitatem valoris, facile constat, scripta ac sententiæ Patrum non esse perpetuas, h. e. non perpetuò valentes, quia non sunt perpetuæ veri-

1. *Proprietates normæ.*

2.

veri-

veritatis, sed si quæ illis inest veritas, non per se inest, sed per aliud, scil. per Scripturam S. Ergo Patrum scripta non possunt esse norma veritatis in rebus fidei. 3. *Norma veritatis in rebus fidei debet esse ab omni errore immunis & vacua*, id quod assensum facile meretur. Id ipsum v. de Patribus eorumq; scriptis affirmare non possumus. 4. *Norma veritatis debet esse uniformis ac eadem semper.* Sed Patres in suis scriptis nec cum semetipsis nec cum aliis perpetuò consentiunt, ut multis exemplis confirmari posset. Ergo Patrum scripta non sunt prima & primaria norma veritatis in rebus fidei. De quibus vide latius differentem Reverendum & Excellentiss. Dn. D. Gerbard in *Meth. Stud. Theol. p. 247. seqq.*

3. *Concl. Patrum scripta conjunctim sumta non omni cerent auctoritate & proinde possunt esse norma fidei secundaria.* Etenim licet prima auctoritas illis non competat, non tamen ima vel nulla eis tribuenda; omnis non deneganda non est, siquidem magnum in probationibus Theologicis momentum tenent, licet secundum. Et hoc explicatur, dicendo, Patrum auctoritatem non esse primariam & absolutam, sed secundariam & limitatam, scil. cui non primò & propter se, sed propter aliquid prius creditur, & fides habetur. Sicut igitur Patrum scripta, quoad esse dependent à & è Scripturis S., propter res & materias S. quas continent; ita etiam quoad auctoritatem, quæ illis competit, quatenus Sacras tractant & cum scripturis conformia sunt, quæ illis auctoritatem aliquam impertiunt. Et ex dictis constabit de altero, scil. Patrum scripta conjunctim sumta posse esse normam secundariam: disjunctim enim sumta, non tam normæ, quam normæ sunt, quia ad Scripturas S. singula singulatim examinanda sunt & regulanda. Igitur conjunctim sumta, possunt esse norma, quod confirmatur, quia isto modo continent veram Religionem & Doctrinam Christianam, quæ in scripturis nobis proponitur, veram, inquam, doctrinam de Deo ejusq; voluntate, quam quasi ex ore Apostolorum exceperunt & ad nos per scripta transtulerunt. Deinde continent solidas scripturarum explicationes & interpretationes, quæ ipsæ licet non in omnibus apud omnes sint congruentes, in principalibus tamen & fundamentalibus, ex singulis tantum potest haberi, quantum ad genuinam scripturæ intellectionem & interpretationem videtur

pertinere. Igitur quod in uno non fat verè, non fat congruè, non fat orthodoxè habetur ac docetur, in alio atq; alio solidior ejus ratio & explicatio potest inveniri, & sic ex collatione omnium, partim inter se partim cum Scripturâ S., quat. scil. in istâ complexione cum Scripturâ consentiunt, & quat. ex illis fundamenta depromere possumus ad faciendam fidem quæstionibus Theologicis, eatenus pro normâ secundariâ agnoscimus.

*Patrum scri-
pta nō sunt
ex Ecclesiâ
elimināda.*

Ex his tandem concluditur, *Patrum scripta non esse ex Ecclesiâ eliminanda, sed retinenda & diligenter legenda.* Et hoc facile probatur à rerum, quas continent, gravitate, sublimitate & utilitate, item tractationis venustate, & si quæ sunt alia argumenta, quæ Patrum scripta nobis commendant & plausibilia reddunt. Ubi tamen duplex æquitatis & candoris judicium est adhibendum: *alterum*, ut de Patrum sententiâ ex planioribus, non ex ambiguis & obscurioribus dictis judicium faciamus: *alterum*, ut sicut neminem ex Patribus cum Scripturarum autoritate adæquamus, ita neminem ex illis ipsis, propter aliquos adhærescentes errores, statim Anathematismo mactemus. Atq; hæc rectè opponuntur Pontificiis, qui quantum ad præsens, duplex crimen committunt: 1. peccant contra charitatem. 2. errant contra veritatem. Contra charitatem peccant, quando dicunt, nostrates Theologos statuere, non legendos esse Patres. Imò contrarium statuunt, illosq; propter innumeras atq; insignes utilitates ex lectione eorundem redundantes, non saltem retinendos, sed insuper diligenter pellustrandos esse, uno ore contendunt & præcipiunt. Contra veritatem v. errant, quando Patres habent pro normâ interpretationis Biblicæ. Nos quidem illos pro normâ (intellige, primariâ) non habemus, non tamen ob id eos reiicimus, sed aliquam & aliqualem autoritatem illis largimur, & propterea illorum scripta legenda esse, propter multas & graves causas censemus & suademus. Potestq; suaderi & commendari potissimum sequentes ob rationes. 1. à Dei ipsius præcepto, Jer. 6, 16. Interrogate de semitis antiquis, & in illis ambulate, &c. ibi implicitè remittimur & ablegamur ad priscos Doctores, scil. ad antiquas vias vel semitas; præcipuè v. quænam via bona sit, attendamus & in illâ ambulemus, & inveniamus requiem animæ nostræ. Sunt verò Patres quasi viæ & semitæ, quæ stratae ac paratae sunt

*Scriptorum
patrum cō-
mendatio.*

tæ sunt nobis, ut in illis incidamus. Quemadmodum v., si in
viâ scopuli quidam obveniunt, à viatore vitari possunt & de-
bent, ne pedes offendat: Ita si quidam scopuli & scrupuli in Patri-
bus eorumq; scriptis occurrunt, prætereundum est, vitandi sunt
errores, ne nos offendamus & in dogmatibus confundamus.
2. à Christi mandato, Matth. 23, 2. 3. In cathedrâ Mosis sedent
scribæ & Pharisei. Omnia ergò, quæcunq; vos iusserint serva-
re, servate & facite, secundùm v. opera illorum nolite facere.
Ibi Salvator dicit de Scribis & Phariseis, quod sedeant in cathe-
drâ Mosis, præcipitq; discipulis suis & universo populo, ut o-
mnia, quæ dixerint Pharisei, servent & faciant. Cum ergo &
Patres sedeant in cathedrâ Apostolicâ, observare illorum scripta
& gesta, nostraq; vicissim ad illa conformare, ex illisq; confir-
mare debemus. Sicut v. discipuli debebant desistere & abstinere
ab operibus Phariseorum, ita nos à Patrum abstineamus nævis
& erroribus, illosq; à sanâ doctrinâ separemus, & quantum pos-
sumus, castigemus. 3. à Christi commendatione, Luc. 10, 16. Qui
vos audit, me audit. Hoc Christi pronunciatum partim gene-
rale est, partim speciale. Speciale est, quat. in specie factum est
ad discipulos: generale, quat. concernit omnes fideles Ecclesiæ
ministros. Licet ergo præcipuè discipulis & Apostolis factum
sit, sub illis tamen & cum illis etiam ad alios spectat, & vel ma-
ximè ad priscos Ecclesiæ Doctores accommodari potest, quia
ab illis & per illos, quicquid habemus de Doctrinâ Christianâ,
ad nos translatum & propagatum est. Ergo illos audiamus. Ergo
illos legamus, ut verbum Dei seu Scripturam S. melius intelliga-
mus. 4. à præoccupatione Apostoli, 1. Thess. 5, 20. Prophetias no-
lite spernere. Cùm verò B. Patres dono prophetandi & scri-
pturas interpretandi vel maximè fuerint instructi, quin & sin-
gularem in hoc docendi genere præstiterint operam, spernendi
non sunt, vel rejiciendi, sed magnificiendi, & cum singulari indu-
striâ legendi. Omnia v. probemus, & quod bonū est, retineamus,
juxta Apostoli monitum, 1. d. 5. à Patrum exemplo, qui diligenter
legerunt scripta suorum antecessorum. Sic Cyprianus quotidie
legit aliquot capita ex Tertulliano, & vocavit eum Magistrum
suum. 6. ab usu multiplici, qui lectionem Patrum sequitur, quem
postea speciatim exponemus.

Hactenus

*Lectio-
patrum ne-
cessitas.*

Hactenus de primo ἐξήγησεν membro circa Theorema nonum, sequitur, ut dicamus de secundo, scil. de necessitate lectionis Patrum, quæ quidem ex dictis facile innotescere potest, ex superabundanti tamen, ad faciendam huic rei fidem, pauca addemus. *Necessaria v. est Patrum lectio 1. propter Theologum. 2. propter Ecclesiam. Propter Theologum, & quidem vel maximè propter ejus perfectionem, scil. ut Doctoris Theologi nomen titulumq; jure tenere possit, interest, ut veteres Theologos & Doctores Ecclesiæ legerit, cum illisq; loqui, & ex illis multa doctrinarum genera deducere noverit. Præsertim, ut ex illis varias scripturarum interpretationes & interpretandi modos animadvertat, interpretationumq; discrepantias, si quæ occurrunt apud diversos, dijudicare discat. Deinde propter Ecclesiæ ædificationem, scopus n. & prima intentio Theologi, post Dei gloriam, debet esse salus Ecclesiæ, quam ille juvat & promovet, si eidem præesse & prodesse expetit. Quomodo a. præerit, quomodo proderit, si non sufficienter instructus sit? Quomodo a. sufficienter instrui potest, si non consulat Doctores Ecclesiæ, à quibus sumendum est, cum quibus loquendum & docendum. Deinde, necessaria est Patrum lectio 1. propter Theoriam. 2. propter Praxin Theologicam. Propter Theoriam, scil. quoad scripturarum intellectionem, Historiæ Ecclesiasticæ cognitionem, Hæreticorum refutationem, &c. Propter Praxin, scil. quoad populi informationem & Ecclesiæ gubernationem, ut ex sequenti capite patebit. Quæ cum ita sint, Dn. D. Chytræus & complures alii Theologi graviter & fideliter eâ de re admonent, & Dn. Chemniti- us hoc sine peculiarem Orationem de lectione Patrum Locis suis Theologicis præfixit.*

*Ejus utili-
tas.*

Tertiò usum & utilitatem lectionis Patrum quod spectat, ea multiplex est & varia, possuntq; de illâ multa dici; singula nos ad sequentia capita reducemus. 1. conducit ad scripturarum intellectionem & interpretationem. Patres enim commentati sunt in scripturam, & eo ipso nobis viam aperuerunt. Ideòq; eorum commentationes legi & in subsidium trahi possunt & debent. 2. facit ad fidei & Religionis confirmationem, quæ oritur ex consensu Patrum cum scripturâ & dogmatibus orthodoxæ Religionis. Ista v. non est primaria confirmatio, sed secundaria, quippe S. literis,

literis, & probationibus ex illis deductis, longè inferior, & quidè inferioritate ordinis & valoris, sive, quæ quoad confirmationem dogmatum secundas tenet in ordine & valore. 3. facit *ad bare-
sum explorationem, discriminationem & refutationem.* Patres enim contra multos scripserunt Hæreticos, contra Pelagium, Nestorium, Arrium, & alios plures. Unde invenimus non solum multa argumenta & rationes, quibus ipsi contra Adversarios pugnarunt, sed & multas responsiones atq; respondendi occasiones, quas illi ipsi Adversariis suis reposuerunt. 4. facit *ad homiliticam populi informationem.* Multos enim multi ex illis sermones ad populum habendos conscripserunt, in quibus multa continentur doctrinalia, præcipuè verò insignia dicta ad pietatem excitantia, quæ in illorum lectione sunt frequentissima. 5. facit *ad cognoscendam Ecclesiæ faciem & Regiminis Ecclesiastici constitutionem.* 6. *ad Rituum in Ecclesiâ consvetorum cognitionem.* Hæc enim omnia per Patres ad nos derivata & translata sunt. 7. *ad pleniorum Historiæ Ecclesiasticæ cognitionem.* Multa enim ex Patribus haberi & suppleri possunt, quia præter Dogmatica etiam multa continent Historica, & sic ex omni parte amplissimos in nos conferunt usus & utilitates. 8. facit *ad Casuum conscientie enodationem.* Ut enim in aliis, sic & in hoc rerum genere abundant & insignem studio Theologico operam præstant. 9. conducit & ducit *ad humanam imbecillitatis cognitionem & agnitionem,* scil. ad cognoscendam imbecillitatem mentis humanæ, siquidem semper in Patribus deprehendimus aliquos nævos & errores, qui part. vitandi, part. excusandi, part. castigandi.

THEOREMA X.

Ubi 1. Notetur Patrum distinctio.

Possunt autem illi distingui *ratione temporis,* in antiquiores & recentiores; in eos, qui vixerunt ante & post Concilium Nicænum; in Patres sub seculo violentiæ, in Ecclesiâ contaminatâ; sub seculo fraudulentæ, in Ecclesiâ deformatâ: *ratione Nationis,* in Græcos & Orientales, & Latinos vel Occidentales: *ratione Orthodoxias,* in puriores & minus puros: *ratione materia,* in Patres, qui tantum Theologica scripserunt, & eos, qui aliqua Philosophica admiscuerunt: *ratione modè tractandi,* in Didacticos
C qui

Patrum
distinctio.

qui veritatem doctrinae vel per modum Catecheseos, vel per modum Locorum communium proposuerunt: in Elencticos, qui Hæreticis sese opposuerunt: in Exegetas, qui in Libros Scripturae commentati sunt: in Homilíticos, qui sermones ad populum habendos vel habitos scripserunt: in Diatacticos, qui de Ritibus & gubernatione Ecclesiae nonnulla luci publicae commiserunt.

*Scriptorum
Patrum
distinctio.
Exegetica.
Elenctica.
Demegori-
ca.
Homilitica.
Diatactica.*

Historica.

Germana.

Suppositia.

Incerta.

Similiter & Patrum scripta distingui possunt ac debent. Possunt autem distingui dupliciter: 1. secundum modum tractationis. 2. secundum modum impositionis & inscriptionis. Quoad priorem respectum, qui à modo tractandi sumitur, scripta Patrum ita distingui possunt, ut quaedam sint & dicantur Exegetica, quibus scripturae libros exponunt; quaedam Elenctica, quibus Hæreticorum errores evertunt; quaedam Demegorica, quibus populum in Cœtu Ecclesiastico informant; quod ipsum quia dupliciter contingere potest, inde vicissim quaedam Patrum scripta sunt Homilitica, quaedam Diatactica; illa ad informandam, haec ad gubernandam Ecclesiam pertinent. Ad Homilitica iterum referri possunt *παρηγορητικά*, *παρακλιτικά*, *παιδαγωγικά*, *ὑποτακτικά*, quibus hortantur, consolantur, objurgant, &c. Tandem etiam quaedam sunt Historica, quae Ecclesiae status & Ritus exprimunt; ex quibus omnibus insignes utilitates percipi possunt. Quisquis enim in his probe prudenterque versatus fuerit, illum ipsum Exegetica Patrum scripta in explicando promptum, Didactica in confirmando copiosum, Elenctica in confutando accuratum, Homilitica in informando paratum, Historica denique in illustrando elegantem & præclarum, adeoque totum mirabilem sunt redditura. Quoad posteriorem modum, qui à veritate & falsitate impositionis atque inscriptionis desumitur, ex illo patrum scripta ita distingui possunt, si scilicet constituentur in triplici differentiâ. Igitur 1. quaedam sunt germana, quae veri Autoris nomen præ se ferunt, seu quae ab illis autoribus sunt profecta, quorum nominibus insigniuntur. 2. alia sunt suppositia, quae ab Autore præfixo non sunt scripta, seu quae ab aliis efficta falsis nominibus venditantur. 3. quaedam sunt dubia & inserta, ubi non possumus explorare, an sit germana & legitima,

an

an v. notha & supposititia. Quod primò ad germana & genuina Patrum Scripta attinet, ea quidem pro talibus jure habentur, interim tamen nullam approbationem specialem merentur, nisi in quantum Scripturis S. consona sunt; quæ v. dissona, eadem facilitate rejiciuntur, qua sine scripturis proferuntur.

Deinde quod ad *Supposititia* scripta attinet, ibi *Suppositio- nis finis* vel fuit *bonus*, ut n. mirum Veterum Dd. Colloquia & Opiniones ad oculum exprimerentur, & Orthodoxæ alicui sententiæ vetustatis conciliaretur autoritas: vel *malus*, ut opinionibus apertè falsis & superstitiosis, majorum nominibus ac titulis, aliqua veritatis facies indueretur. Ubi ad summam *causæ falsarum inscriptionum revocari possunt ad tria hæc capita*: scil. quòd *quædam* sint honestæ ac probabiles, *quædam* excusationem & veniam merentes, *quædam* v. turpes ac damnabiles, quas vide dilatatas & explicatas in *Dn. D. Gerhard. Method. pag. 272. seqq.*

Suppositio- nis finis vel bonus ma- lus.

Tandem notandum & observandum, quibus notis ac xpi-
pior genuina Patrum scripta à nothis & supposititiis discernenda sint. Ibi revocari singula possunt ad tria summa capita, videlicet ad *Tempus*, *Dogmata*, ac *Stylum*; nimirum ut quærat, an tempus conveniat, an dogmata consentiant, an Stylus autoritarem referat. Igitur 1. discernuntur *ex tempore & discrepantibus tem- porum circumstantiis*, cum superiorum ætatum Scriptori ea tribuuntur, quæ temporibus multò post insecutis gesta sunt 2. *ex disconvenienciâ rerum seu dogmatum & materiarum novitate*, cum antiquis Autoribus illarum rerum tractatio affingitur, de quibus illi ne per febrim unquam somniarunt. 3. *ex Styli diversitate & alieno Characterè sermonis*, ut cum puræ & Latinæ antiquitati sermo impurus & barbarus affingitur.

Quomodo genuina Patrum scripta ab adulterinis discernuntur.

THEOREMA XI.

Notetur 2. Catalogus Patrum.

Patrum

Catalogus.

Hanc ipsam rem quod attinet, Catalogus Patrum ab aliis aliter recensetur; à plerisque tamen, & commodissimè quidem, in suas centurias seu certas classes rediguntur. Quem ipsum ad modum, illum ex *Dn. D. Gerhard. in Method. p. 281.* transcribimus, ut sequitur. *Primo seculo* floruerunt, Ignatius, Dionysius Areopagita, Clemens Romanus. *Secundo seculo*, Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Theophilus. *Tertio seculo*, Tertullianus, Julius Africanus, Cyprianus, Origenes, Methodius, Minutius Felix. *Seculo quarto*, Eusebius Cæsariensis, Lactantius, Athanasius, Arnobius, Cyrillus Hierosolymitanus, Macarius, Hilarius, Gaudentius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Ruffinus, Hieronymus, Epiphanius, Philastrius, Chrysostomus. *Seculo quinto*, Optatus Milevitanus, Ephrem, Evagrius, Augustinus, Prudentius, Gennadius, Hefichius, Maximus Taurinensis, Orosius, Cassianus, Cyrillus Alexandrinus, Vincentius Lyrinensis, Synesius, Claudius Marius Victor, Eucherius, Isidorus Pelusiota, Leo primus, Primasius, Theodoretus, Prosper, Theodulus, Sedulius, Vigilus, Gelasius, Salvianus, Fulgentius, Junilius, Salonius, Paulinus. *Seculo sexto*, Boëtius, Maxentius, Eusebius, Emisenus, Cassiodorus, Aretas, Gregorius Turonensis, Alcimus, Fortunatus, Olympiodorus, Gregorius Magnus, Isidorus Hispalensis. *Seculo septimo*, Anastasius, Sophronius, Cæsarius, Andodemus. *Seculo octavo*, Beda Presbyter, Alcuinus, Damascenus, Carolus M., Paulus Diaconus. *Seculo nono*, Haymo, Photius, Bertramus, Rabanus, Strabus Fuldensis, Autor glossæ ordinariæ, Paschasius, Remigius, Angelomus, Hincmarus, Udalricus Augustanus. *Seculo decimo*, Oecumenius, Fulbertus Carnotensis, Theophylactus, Humbertus, Algerus, Euthymius, Guitmundus, Hildebertus, Giselbertus, Luitprandus, Ansbertus, Radulphus, Smaragdus. *Seculo undecimo*, Rubertus Tuiciensis, Anselmus, Florentinus Wigorniensis, Lanfrancus, Petrus Damianus, Berno. *Seculo duodecimo*, Bernardus, Honorius Augustodunensis, Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis, Hugo de S. Victore, Theodorus

dorus Balsamon Patriarcha Antiochenus, &c. Ex his omnibus aliquot Patrum scripta conjunctim extant in Bibliotheca Patrum, in Orthodoxographis, in Hæresiologiâ Autorum 18. Similiter peti potest Catalogus Patrum ex *Pelargi Append. in Schol. Fidei*, Cumprimis a. ex *Academia S. Schopperi*.

THEOREMA XII.

3. *Notentur Regule generales Lectionem Patrum dirigentes.*

Modus legendi & colligendi nunc inculcatur. Igitur quoad hanc rem certæ constituendæ sunt *Regule*, quæ in lectione Patrum observandæ. Possunt autem istæ constitui duplices: *generales & speciales*. *Generales* sunt sequentes. I. *Lector Patrum habeat $\omega\epsilon\gamma\ \gamma\upsilon\omega\sigma\omega$ seu præcognitionem scripturæ & sincerioris fidei, normamq; ad istam cuncta expendat.* Sola enim scriptura est norma fidei. Proinde credimus scripturæ propter se ipsam, Patribus v. propter scripturam. Non v. propterea nulla omninò Patribus eorumq; scriptis debetur autoritas, si divina illis denegetur; non, inquam, sed in suo genere magnæ sunt autoritatis scripta; non quidem sunt fidei iudices, testes tamen sunt atq; indices; non sunt numina, præclara tamen lumina, & ministerium, non magisterium præbent in rebus Religionis. Igitur ad Patrum lectionem afferenda est idea sincerioris Theologiæ ex Scripturis S. concepta atq; animis firmiter infixæ, ut, illâ prælucente & ducente, varij scopuli, qui passim in illis occurrant, præternavigari quasi & evitari possint. II. *Requiritur $\delta\iota\acute{\alpha}\ \gamma\upsilon\omega\sigma\iota\varsigma$ seu discretio Scriptorum, ut germana à spuris & adulterinis prudenter distinguantur.* Multa siquidem sub venerabili Patrum pallio in Ecclesiæ profcenium hodiè producuntur & protruduntur, quæ ad Patres non pertinent, neq; ab illis profecta sunt, sed ab Hæreticis conficta vel certè corrupta, ab illis ipsis pro veris & sinceris Patrum Scriptis venditantur. III. *Afferatur etiam Christiana charitas & quadam $\epsilon\mu\epsilon\iota\chi\epsilon\tau\alpha$, ne propter nevos quosdam planè repudiemus Patres, vel statim rejiciamus, quæ aliquâ excusatione molliri queunt.* Ita enim par est; nec licet illos temerè rejicere, quos Deus manudoctores nobis voluit præficere. In lectione igitur Patrum observanda est regula Pietatis, ne in Deum, Charitatis, ne in Patres, & Prudentiæ,

dentia, ne in nosmet ipsos peccemus. IV. *Necessaria etiam est επιμετριο, ut collatis Exemplaribus, castigatissimi codices omnibus aliis preferantur.* Ut plurimum enim plurima sunt corrupta Exemplaria, praesertim a Papiculis & Jesuitis, qui ad palliandos suos errores, quandam quasi correctionem instituerunt, & sic genuina Patrum scripta corrumpere praesumerunt. Igitur antiqua Exemplaria & Editiones Patrum, quales sunt cum primis Basilienses & Francofurtenses, sunt omnium optimae. V. *Rectus etiam teneri debet ordo in Patrum lectione, ne promiscue ad omnes pariter accedamus, sed κατὰ ευαθεϊαν modum, ab iis ordiamur, quos & brevitatis & styli ipsius rerumq; commendat facilitas.* Alias, qui lectionis ordo & series in pervolvendis vastis illis tot Patrum voluminibus observanda sit, variant Eruditorum sententiae; quidam existimant, temporum seriem unice spectandam & observandam esse, alii v. aliter censent. Quibus omnibus post habitis, consultius esse videtur, ut in principio lectionis respiciatur vel maxime ad tractationis brevitatem & intellectionis facilitatem, ut lector Patrum postmodum eo velocius & felicius in aliis, & quae prolixitatem & difficultatem aliquam per se ferunt, progredi possit. VI. *Annotari denique debent, quae in lectione Patrum occurrunt memorabilia, ubi Exegetica ad Locos Biblicos, Didactica & Elenctica ad Locos Controversiarum, Moralia ad Locos Homileticos, Consilia ad Casus Conscientiae, Historica ad Locos Historicos referri debent.*

THEOREMA XIII.

4. *Notentur Regulae speciales in lectione Patrum observanda, quarum imprimis dantur duodecim.*

Regulae speciales.

Reg. I. *Videndum est, quo tempore Patres vixerint & scripserint.* Quamvis n. in probatissimis Ecclesiae Patribus, Apostolorum temporibus proximè vicinis, erroneae quaedam opiniones inveniuntur, ut magis respiciendum sit, quis ad Scripta, quam ad tempora Apostolorum propius accedat: tamen antiquiores recentioribus omnino sunt praeferendi. Quò n. Apostolorum temporibus magis vicini sunt, eo sincerius Sacras Literas tractant ac caelestem doctrinam purius explicant, quemadmodum rivus, quò à fonte abit longius, eo plus limi & colluviei contrahit. Deinde nondum motis certaminibus, interdum liberius Patres sunt locuti: Igitur distinguamus tempora, & multa Pa-

tru n.

trum Scripta & dicta explicabuntur & conciliabuntur. II. *Videndum est, contra quos Adversarios scripserint.* Et hoc quidem propterea, ut Hæresium in dolem percipiamus, & deinde Patrum mentem scopumq; in singulis scriptis accipiamus. Hoc n. multum facit ad Patrum lectionem & intellectionem. III. *Non solis tenaciter inhaerendum est vocabulis, sed ad Patrum potius sensum respici debet.* Sæpe n. videntur verbis favere Adversariis, ubi tamen mens est aliena. Mens siquidem orthodoxa fuit, sed Lingua liberior. Benè senserunt, sed durius interdum sunt locuti. Igitur res & sensus spectari, non verba exaggerari debent. IV. *Rhetoricæ declamationes & Homiliticæ Orationes discernenda sunt à dogmatibus fidei & demonstrationibus Theologicis.* In Homiliticis n. & paraneticis liberiùs quandoq; rhetoricantur, & multa dicunt adhortatoriè magis, quàm dogmaticè, ut omnia illorum pronunciata nō sint ad vivum ressecanda. V. *Patres non omnia scripserunt dogmaticè & assertivè, sed quædam à γωνιστικῶσ in fervore certaminis, quædam γυμναστικῶσ tentandi gratiâ, quædam ἰσχυρικῶσ vel recitative & ex aliorum sententiâ, quædam παρηλικῶσ & ex affectu nimio, quæ effatorum genera diligenter sunt discernenda.* Igitur probe attendendum est, an ex professo & in propriâ sede dogma aliquod proponant & confirmant, an v. obiter illud attingant; item an ex suâ, an ex aliorum sententiâ disputent, an tanquàm certum, an ut probabile duntaxat statuunt, &c. Et hæc διακρισις omninò necessaria est, si accuratè Patres & cum fructu volumus legere & intelligere. VI. *Philosophicæ à Theologicis similiter discerni debent.* Cum enim multi ex Patribus, disciplinis gentiliū priùs fuerint informati, antequam ad Christianam Fidem converterentur, inde factum est, ut quædam Philosophicæ scriptis suis admiscuerint; quin & in plurimis Veterum Operibus merè philosophicæ continentur. VII. *Patres quidam scripserunt nonnulla Poeticè, ubi suo liberiùs indulgent genio, & versuum potius elegantiam, quàm scripturæ intelligentiam sectantur.* Quò etiam referri possunt & debent Figuræ Poeticæ in solutâ oratione quandoq; ab ipsis adhibitæ. VIII. *Interdum Patres rumoribus incertis nimium tribuant, & loquendi formulas à vulgo petunt, ubi autoritate eorum minime teneri possumus.* IX. *Conferenda sunt Patrum Scripta, partim inter se, partim cum aliis.* Et hoc potissimùm ad investi-

investigandam dogmatum convenientiam & discrepantiam, veritatem & falsitatem, quomodo nimirum scripta Patrum, quoad dogmata, tum inter se, tum cum aliis vel consentiant vel dissentiant, quæ dogmatum puritatem, quæ impuritatem præ se ferant, ubi pura & genuina suscipienda, impura & adulterina relinquenda. X. *Patrum interpretationes Biblicæ cum leguntur, magis respiciatur ad sensum literalem, quàm Allegoricum, ad quem tamen illi sæpius delabuntur.* Maximè n. familiare est apud Patres, quod in Scriptis suis, potissimum Exegeticis, vel prætermisso vel leviter attracto sensu literali Scripturæ, Allegorias crepant, quæ interdum sunt duræ, coactæ & intempestivæ, in quarum usu aliàs temperantes esse debent Doctores Exegetici & Homiliterici. XI. *Observandum, ar. Vet. Testamenti librum explicans, Hebrææ Linguae gnarus fuerit.* Nam istius cognitione destituti sæpius impingunt, adeòq; istorum expositiones magno cum iudicio legendæ sunt. XII. *Vaticinia nondum impleta plerumq; inconvenienter explicant.* Quam ob causam illorum expositionibus hæc in re non est inhaerendum.

THEOREMA XIV.

Deniq; cum scriptis Patrum jungatur etiam lectio Scriptorum Lutheri, quem merito Patribus annumeramus imò & multis præferimus, ob accuratam Scripturæ ἐξήγησιν, & perspicuam doctrinam Evangelicæ illustrationem.

Scripta Lutheri.

De Scriptis autem istis tria in præsentiarum notari possunt. 1. Scriptorum Lutheri commendatio. 2. Brevis Scriptorum enumeratio. 3. Lectiois & collectionis ratio.

Scriptorum Lutheri commendatio.

Quoad primum, multa sunt in Luthero ejusq; Scriptis ponderanda, quæ insigniter illa commendant, cum primis autem quinque: 1. styli Germanici comitas. 2. tractationis perspicuitas. 3. expositionis Biblicæ soliditas. 4. animositas & zeli singularitas. 5. phrasium & sententiarum penetrabilitas; & hæc sunt alia dona & bona in B. nostro Luthero ad miraculum usq; conspicua. Etenim in omnibus ille, præ omnibus, loquitur plausibiliter, intelligibiliter & penetrabiliter, quæ certè alicujus dicta & scripta satis commendare possunt. Et summam in Commentariis seu Expositionibus.

positionibus Scripturarum, præcipue v. in Genesin & Epistolam S. Pauli ad Galatas; in Disputationibus item & Scriptis Polemicis adversus omnis generis corruptelas & hæreses, suo seculo parem vix habuit.

Deinde notari & enumerari possunt ejus Scripta, quæ pro-
dierunt, ut sunt Tomi IV. Latini, & Tomi VIII. Germanici Jenenses; Tomi XII. Germanici VVittebergenses, II. Tomi Islebienses, in quibus sunt Paralipomena. Postilla Ecclesiastica & Postilla Domestica; Colloquia Mensalia, post mortem Lutheri edita. Editus autem est annis superioribus index utilissimus omnium Tomorum: & postmodum etiam collecti sunt Loci Communes ex Scriptis Lutheri, à Theodosio Fabricio, in 4to, Magdæb. Anno 1594.

Tertio deniq; ratio & modus legendi à diversis diversus habetur & suadetur. Nonnulli suadent, initium esse faciendum à Tomis Germanicis, & quidem à Tomo quinto Jenensi. Suadent etiam alii, à duorum postremorum, nimirum septimi & octavi Jenensis, lectionis faciendum esse initium, & cum demum à primo ad ultimum pergendum esse. Priora n. quod attinet scripta & priores Tomos, in illis multa continentur, quæ referta sunt fermento Papistico, ideòq; cum judicio sunt legenda. Quod attinet Scripta Latina, in primis legendus est Commentarius in Epistolam ad Galatas; Liber de Ultimis Verbis Davidis; Liber de Conciliis; præcipue verò insignis ille Commentarius in Genesin, quod ultimum fuit Lutheri Scriptum, & pro concione Cygneâ jure merito celebratur & magni æstimatur.

Modum collectionis quod attinet, potest illa vel esse peculiaris & propria, si scil. peculiare Loci colligantur, & peculiare tituli, pro diversitate rerum & materiarum, constituentur; vel communis quasi, si scil. singula notabilia ad locos aliàs ex aliis sparsim collectos referantur, puta Exegetica ad Locos Biblicos, Polemica ad Locos Controversiarum, Doctrinalia ad Locos Practicos, & sic in aliis. Præcipue v. possunt Patrum & Lutheri Scripta, si jungantur lectione & collectione, campum amplissimum suppeditare ad peculiarem ejusmodi Locorum Collectionem, & quidem Locorum tum Theoreticorum seu Controversialium, tum Practicorum seu Doctrinalium.

THEOREMA XV.

*Octavum
Medium.*

Octavum Medium est aliqualis Theologia Scholastica & Causidica in Papatu usitata, cognitio.

Dicitur, in Papatu usitata: Duo enim sunt fulcra Papatus: 1. est Theologia Scholastica, quæ coepit tempore Lombardi, circa seculum undecimum nati Christi, quem secuti Doctores, postmodum vocati sunt Scholastici. 2. est Theologia Causidica, in praxi Ecclesiæ occupata. Sicut enim Theologia Scholastica Cathedras Academicas invasit, ita Theologia Causidica Cathedras Ecclesiæ intravit & occupavit. Ejus Compilerator fuit Gratianus, quem secuti alij, postmodum dicti sunt Canonista. Et his fulcris in hunc usq; diem nititur Papatus.

THEOREMA XVI.

*Errata
Scholasti-
corum.*

Quod attinet Theologiam Scholasticam, multa alias illi insunt vitia & Errata.

Nam Scholastici 1. Philosophiam cum Theologia commiscent, & sic ex duobus bonis faciunt unum pessimum. 2. de rebus Theologicis non ex solo Dei verbo, sed ex principiis peregrinis disputant. 3. Si quando adhibent Scripturam, plerumq; in pertinentia dicta, & Latinam versionem corruptissimam allegant. 4. non tam in necessariis & fructuosis fidei articulis demonstrandis, quam in non necessariis & supervacaneis quaestionibus ventilandis occupati sunt. 5. verbis terminisq; utuntur obscuris, barbaris & ipso sono horrendis. 6. ad unam thesin roborandam innumera argumenta, & pleraq; tantum probabilia producant. 7. pleriq; de rebus necessariis disputant in partem utramq; sine decisione: de non necessariis & incertis certi quid audent temerè definire. 8. Uti v. sæpius disputant scepticè, ita etiam dissentienter, ut nullus fermè inter ipsos consensus appareat.

*Scholastici
tripliciter
peccarunt.*

Igitur in universum Scholastici tripliciter peccarunt 1. circa disputandi objectum, res & quaestiones inutiles tractantes. 2. circa disputandi principium, Philosophiam cum Theologia commiscentes. 3. circa disputandi modum, dum de necessariis plerumq; probabiliter & scepticè disputant, sibiq; sæpissimè contradicunt.

Ad

Ad summum igitur in Scholasticis reprehenduntur tria: 1. *Questionum vanitas*. Ista enim quod attinet, sunt illæ partim otiosæ, partim spinosæ, partim inutiles, partim absurdæ, partim superstitiosæ partim impiæ & blasphemæ. 2. *Verborum & terminorum obscuritas*, quia plerumq; verbis obscuris & barbaris utuntur & loquuntur. 3. *Modi ipsius absurditas*, quæ est partim in principiorum commixtione & confusione, partim in inconvenienti & insufficienti quæstionum probatione & determinatione; de quibus singulis vid differetes Præceptores nostros meritissimos, Dn. D. Gerhard. Method. p. 299. seqq. Dn. D. Meisner. part. 2. Phil. Sob. sect. 2. c. 3. q. 3. pag. 675. seqq. Ob tot igitur & tanta errata meritò cavendum est, ne vitiosa isthæc Theologia, per Scholasticos infeliciter introducta, per Lutherum salutariter educta, per nos imprudenter iterum reducatur.

THEOREMA XVII.

Quamvis igitur Theologia Scholastica non sit interpollanda, ab accurato tamē Theologo aliquantulum est cognoscenda.

Scholasticorum lectio.

Igitur quantum ad lectionem Scholasticorum, videndum est, ne forsan in excessu, ne forsan etiam in defectu peccetur. Utrumq; enim vitiosum est & culpabile. Medium igitur tenere & mediocriter in illorum lectione se exercere, optimum est & tutissimum. Et quidem sunt Scholastici legendi ob sequentes rationes: 1. *ut* priorum temporum tenebræ & miseranda Ecclesiæ facies inde innotescat. 2. *ut* dissensiones Doctorum Papalium, & crebras Religionis Papisticæ mutationes notemus, a deòq; Thrasonicam Jesuitarum gloriationem de unitate & concordia docentium inter ipsos eò melius refutare possimus. 3. *ut* si quædam asperius dicta ex Lutheri & aliorum scriptis obiiciantur, ad illa per exempla Scholasticarum absurditatum & ineptiarum interpretationum, tanquam per instantiam fortissimam, respondere discamus. 4. *ut* quæ vera & salutaria docent, observemus & in nostros usus collocemus. 5. *ut* Pontificios & Jesuitas modernos telis Scholasticis quandoq; transfigere possimus, siquidem illi multa in nobis carpunt, quæ ipsi docuere Scholastici, & multa defendunt, quæ isti solidis olim rationibus confutarunt.

Rationes, cur Scholastici legendi.

Lectionis
necessitas.

Utilitas.

Unde consequenter facile constare potest, tum de necessitate tum de utilitate lectionis Scholasticorum. *Necessaria est, non quidem necessitate absolutâ, sed conditionatâ & ex hypothesi, non ad esse Theologi simpliciter, sed ad bene esse; & quidem ex utraq; parte, scil. tum propter Theologum, ut evadat accuratus & laudatus, tum propter Ecclesiâ, ut eò melius defensetur ac propagatur, & quidē in specie, ut hæresis Papistica eò felicius refelli & ab Ecclesiâ orthodoxâ velocius propelli possit, quæ singula ex modo dictis æstimari possunt. Utilis est, & facit 1. ad cognoscendâ miserabilem Ecclesiæ, tenebris olim Papisticis immersæ, statum & conditionem, exoptatamq; post Lutheri Reformationem, constitutionem. 2. ad animadvertendam Papalium dissensionem & crebram Religionis Papisticæ immutationem. Perpetuæ enim apud Pontificios sunt dissensiones & inexcusabiles contradictiones, quæ exaggerandæ sunt vehementius & objiciendæ frequentius. 3. facit ad duriorum dictorum, quæ nostri Doctores interdum adhibent, excusationem & Scholasticarum absurditatum oppositionem. Scil. quando Pontificij & Jesuitæ plerumq; illa, quæ duriusculè dicta in Scriptis Lutheri occurrunt, comportant nobisq; obijciunt, eò ipso possumus illa excusare, quando novimus Scholasticos absurditatis accusare, eo ipso poterimus defendere, quando poterimus illos in similibus reprehendere. 4. facit ad multorum doctrinalium observationem & annotationem. Nullus enim est Scholasticorum, in quo non bona & utilia inveniuntur. Separanda igitur & rejicienda sunt otiosa & vilia, atq; retinenda pretiosa & utilia. Sic quando interdum insignia admiscet moralia, illa ab illis sunt auferenda & in nostros usus transferenda. 5. facit ad Pontificiorum refutationem, scil. ut Jesuitas telis Scholasticis quandoq; possimus percutere, siquidem illi multa in nobis reprehendunt, quæ ipsi olim docuerunt Scholastici. Et certè nunquam clarior est victoria, quàm si hostem propriis armis vincamus. Igitur quando Pontificios & Jesuitas proprio eorum gladio jugulamus, pulcherrima erit victoria.*

THEOREMA XVIII.

Notentur autem Regula quedam Scholasticorum lectionem dirigentes & utilem reddentes.

Ethoc

Et hoc ipso modus & ratio legendi Scholasticos indigita- *Regule.*
tur. Regulæ autem istæ sunt sequentes: I. *Scholasticos nemo le-*
gat, priusquam solidam & fundamentalem sinceræ Theologiæ cognitio-
nem sibi comparaverit. Aliàs hinc inde vagabundus fluctuabit
vorticibus variarum opinionum abreptus. Quemadmodum
n. nauclerus vasto mari se nunquam committit sine Combasso:
ita & nos non conferamus in Oceanum Scholasticum sine Com-
basso Verbi divini. II. *Lectio Patrum quodammodo etiam premit-*
tenda est lectioni Scholasticorum. Et hoc propter geminam rationem;
quarum altera est ex parte Patrum, altera ex parte Scholastico-
rum. 1. *ex parte Patrum,* quia multi illorum longè ante Scho-
lasticos vixerunt & scripserunt, unde & illorum Scripta purita-
tem & sinceritatem magis sapiunt, quàm Scripta Scholastico-
rum, quippe quæ nihil aliud sunt, quàm prima fermenti Papi-
stici materia. Quin & deinde longè major utilitas est ex lectio-
ne Patrum, quàm ex lectione Scholasticorum, præcipuè pro-
pter Exegetica. 2. *ex parte Scholasticorum,* quia illi ex Patribus
multa citant, sed plerumq; falsò vel impertinenter & inconveni-
enter. Diligenter igitur attendendum est, ubi & in quibus à
mente Veterum discedant. III. *Institui debet quidam Scholasti-*
corum delectus, ut puriores, & quorum usus in Controversiis Papisticis
potest esse uberior, præferamus aliis. Non indiscretè irruendum in
lectionem Scholasticorum, cum non omnes ejusdem sint ætatis,
autoritatis & sinceritatis. Antiquiores ferè sunt puriores &
sinceriores, si modò sinceritas dicenda est. IV. *Lectio Scho-*
lasticorum non sit immodica, sed parca & moderata. Quæ Regula
dupliciter potest exponi: scil. *respectu Scholasticorum,* qui legendi,
& *respectu temporis,* in quo legendi. Sensus igitur est, nec mul-
tos legamus, nec diu lectioni eorum inhæreamus, sed simus tem-
perantes & medium in hoc ipso observantes. Unde monent
nostri Præceptores, & benè monent, ne quis in totum illud va-
stum, sinuosum & anfractuosum pelagus se immittat, nec omnes
vel ex omnibus aliquos indistinctè & incircumspectè legendos
assumat, illorumq; lectioni nimis indulgeat; sed certos aliquos,
eosq; paucos, seligat & legendo pervolvat. Sufficit igitur, si *Scholastici*
quinq; vel sex percurrantur legendo, nempe *Lombardus, Thoma qui legendi.*

Modo colligendi.

Summa Theologiae, Bonaventura, qui in multis discedit à reliquis, & hodiè frequenter potest opponi Jesuitis: *Durandus*, qui etià multa habet magis Orthodoxa: *Biel*; quibus ex superabundanti potest addi *Iohan. de Argentina*. Hi, inquam, sufficere possunt, & ex his si debità diligentia & attentione legantur, tantum, quantum quidem in rem futuri Theologi erit, depromi & in bonum usum conferri potest. V. *Quae notatu digna occurrunt, in Scholasticis, ea vel referantur ad ceteros locos, vel peculiaria ex illis fiant collectanea.* Igitur, quantum ad modum colligendi, potest esse gemina via: vel strata & parata, vel sternenda & præparanda. Strata via & parata est, si scilicet ad ceteros Locos prius collectos omnia notatu digna redigantur, & quidè in specie, Controversialia ad Locos Controversiarum, Doctrinalia ad Locos Doctrinarum & sententiarum, &c. præcipuè v. si quæ occurrunt utiles distinctiones, argumenta evidentia, & accuratæ quæstionum decisiones, ista singula referantur ad suas sedes, in Libris Collectaneis. Via sternenda & præparanda est, si nimirum peculiare Loci colligantur & peculiare tituli constituentur, in quibus certas classes & capita, singula redigantur. Scilicet. 1. Colligendæ sunt absurdæ expositiones dictorum scripturæ. 2. Congruæ dictorum expositiones. 3. varia & diversa dogmata. 4. debent notari dissensiones scholasticorum, 5. in specie debent annotari dissensiones Scholasticorum à Jesuitis modernis. 6. vitiosæ Patrum allegationes. 7. observandæ ineptæ Allegoriæ Scholasticorum. 8. insufficientes & impertinentes probationes 9. Catalogus quæstionum otiosarum, spinosarum, inutilium, &c. 10. in quibus Articulis Philosophiam cum Theologiâ commisceant. 11. observandæ quæstiones in dubio relictæ & nondum decisæ. 12. barbarismi & idiotismi, quos in sermone adhibent; & si quæ sunt alia, ut sunt innumera, ea diligenter annotari debent, & singula distinctè ad certa capita referri.

THEOREMA XIX.

Theologia Causidica. Quod Theologiam Causidicam concernit, quatuor præcipuè notanda veniunt: 1. Descriptio. Nihil verò est aliud quàm indigesta illa Papalium Sanctionum farrago, pro ut ea in Jure Canonico exhibentur & à Canonistis fusius explicantur. Haecenu

Hactenus de *Theologia Scholastica*, consequens est, ut etiam agamus de *Theologia Causidica*. Circa illam autem quatuor discutienda veniunt. 1. Ejus descriptio. 2. Errata. 3. Utilitas. 4. Modus legendi & colligendi. Primum expressum est Theoremate praesente, ubi generalis quaedam descriptio allata est, scil. *Theologiam Causidicam nihil aliud esse, quam rudem & indigestam farraginem Sanctionum, prout ea in Jure Canonico exhibentur & a Canonistis fusiis explicantur.* Igitur Jus Canonicum est *Theologiae Causidicae contentivum & exhibitivum, sive Theologia Causidica universa in codice Juris Canonici continetur & exhibetur. Duae enim dantur species Juris: Civile scil. & Canonicum;* unde Doctores Legales sese scribunt *Juris Utriusq; Doctores.*

Quid Theologia Causidica.

Ius Civile & Canonicum.

De *Jure v. Canonico* vicissim quaedam in specie notanda sunt. 1. *Notatio seu nominis impositio & impositionis ratio.* Gemino v. gaudet nomine: Vocatur enim *Ius Pontificium & Ius Canonicum.* Speciosè quidem & pomposè! *Ius* dicitur, non de jure, sed de facto, siquidem juris & justitiae non semper habetur ratio, verum plurima & contra aequitatem & contra veritatem inibi traduntur, ut patebit ex seqq. Quo igitur jure ejus compilatores nomen hoc ipsi imposuerint, jure quaesiveris, nec ullam quoad hoc juris speciem deprehendes. *Pontificium* dicitur, respectu omnium causarum. *Causa* enim efficiens est Pontifex: *Materia* sunt Constitutiones Pontificum: *Forma* est ipsa Pontificia structura & congestio: *Finis* est sedis Pontificiae stabilitio. *Canonicum* vocatur, quia putatur continere *Canones Veteris Ecclesiae.* Ut enim Constitutiones in Jure vocantur *Leges*: ita in Ecclesia *Canones* indigitantur. Nos autem *Canonicum* illud vocamus κατὰ τὴν ἀντιθέσιν, & sensu opposito non *Canonicum*. 2. *Notetur scopus & intentio.* Nulla alia *Causa* est, nullus alius *finis*, quam *Papalis eminentiae conservatio.* *Primatus* enim est prima *materia* *Papatus*, siquidem ex hoc principio componuntur, & in hoc ipsum resolvuntur omnes *Articuli Religionis Papisticae*; unica ista *basis* est, unicum *fundamentum*, quo stante stat, cadente cadere necessum habet *Papatus.* *Primatus* est primus & ultimus *finis* *Papatus*, siquidem ad illum omnia dirigunt & propter illum omnia suscipiunt *Pontificij.*

Juris Canonici notatio

Juris Canonici scopus & intentio.

THEOREMA XX.

3. *Notanda sunt Errata, quorum sunt bene multa.*

Nam

*Errata lu-
xi Canonici*

Nam 1. Jus Canonicum scatet absurdis Etymologiis & So-
lœcismis, barbarisq; dictionibus. 2. Multæ ibi proferuntur pere-
grinæ, impertinentes & ridiculæ probationes. 3. dicta Scriptu-
ræ sæpius ineptè exponuntur & à literalis sensu in alienum peregri-
num torquentur. 4. omnia in jure Canonico ad stabilendum fi-
ctitium Papæ primatum diriguntur & traduntur. 5. ad Magi-
stratus Politici suppressionem & Clericorum exaltationem ple-
ræq; sunt accommodata. 6. Decreta impia & Christianæ liber-
tati contraria non pauca ibi reperiuntur. 7. Errôres & Parado-
xa Theologica proponuntur plurima. 8. variæ dissensiones &
contradictiones subinde admiscentur. 9. Patrum testimonia &
Conciliorum definitiones vitiosè allegantur sæpius, 10. Sum-
maria & rubricæ non semper conveniunt cum ipsis Canonibus
& Decretis. 11. Crassa literarum & artium bonarum ignoran-
tia ubiq; obvia est.

THEOREMA XXI.

3. *Explicanda est Utilitas ex lectione Juris Canonici re-
dundant?*

*Utilitas le-
ctionis Juris
Canonici.*

*Quator in-
signia dona
Christiani.*

Multæ & insignes sunt utilitates ex Theologiæ Causidicæ
cognitione, & Juris Canonici lectione redundantes, quæ possunt
reduci ad sequentes classes. 1. *Summa & incredibilis Papæ Tyran-
ni, Superbia & Avaritia inde innotescit.* Videtis enim, ordini Eccle-
siastico ademit doctrinæ puritatem: Ordini Politico ademit cõ-
cessam divinitus potestatem: Ordini Oeconomico conjugii di-
gnitatem. Ita omnes statûs depopulatus est Papa. Et istorum
omnium fundamenta jacta sunt in jure Canonico. Hoc enim
omnium istorum regula ac norma est. 2. *Miseranda Ecclesie Papa-
lis conditio & summa servitus inde cognosci potest optime. Quatuor
sunt insignia bona & dona hominis Christiani: 1. Scriptura, quæ omni-
bus scribitanda. 2. Discretio, quæ debeat explorare Spiritûs, num
ex Deo sint. 3. Calix benedictus, quo fruendum ad salutem. 4. fili-
alis fiducia, qua Deo testatori creditur.* Hæc in Jure Canonico
adimuntur & præscinduntur omnibus Christianis: *ex manibus
rapit Scripturam, ex mentibus Discretionem, ex ore Calicem, ex cor-
de filialem fiduciam.* 3. *Successiva in super Doctrinæ declinatio & status
Ecclesiastici in pejus mutatio luculenter ibi deprehenditur.* Gloriantur
aliàs

alias Papistæ de antiquitate doctrinæ, eamq; insigniter jactitant; sed quomodo mutatio doctrinæ paulatim facta sit, ostendit Jus Canonicum. Gloriantur insuper de unitate & constantiâ suæ Religionis, sed idem Jus Canonicum ostendit, nihil esse illâ inconstantius & deformius. 4. Occurrunt etiam utiles quædam tunc Ecclesiasticæ tunc Politicæ sanctiones, quæ merito notantur & in nostros usus transferuntur. Præcipuè v. in primâ parte, quam constituit Decretum Gratiani, quod conflatum est 1. ex Conciliis. 2. ex responsis Pontificum. 3. ex Patribus. 4. ex Historiâ Ecclesiasticâ. 5. Non pauca ibi habentur partim dogmata partim decreta, à quibus hodierni Pontifices recedunt & contrarium pleriq; præcipiunt, ut ita ex proprio Jure, ex proprio principio refutari possint. Pulchra verò est victoria illa, quando hostem propriis armis transfigimus. Ita bellè agitur, quando Pontificios propriis placitis confundimus. 6. Multa etiam ibi inveniri possunt instantie Iesuitis semper opponende, quoties dicta quædam asperiora Lutheri & aliorum ex nostratibus obijciunt. Multa enim & multò crassiora planèq; abominanda in Jure Pontificio leguntur, quæ nihilominus illi pro ipsius Spiritus S. Oraculis, per insignem blasphemiam, venditant. Quæcunq; v. nostris obiiciunt, plerumq; per crimen falsi aut malam detorsionem contingunt. 7. Abusibus insuper multis, variis cultibus, superstitionis ritibus, eorumq; ineptissimis explicationibus & probationibus abundat Jus Canonicum, quæ omnia annotare ad revelandam Papatus turpitudinem utile est & conducibile.

Et hinc facile etiam constare potest de necessitate lectionis Juri Canonico impendendæ. Necessaria est illa ipsa, quia vel proximè ad Praxin Theologicâ accedit, illamq; juvare & confirmare plurimum, deprehenditur. In quocunq; igitur consistit Praxis Theologica, & quocunq; illa vel maximè formatur & firmatur, illud ipsum Theologo cognitu est necessarium. Ejusmodi quid est Theologia Causidica. Ergo Minoris ratio patet ex dictis. Est autem ejus cognitio Theologo necessaria tunc ex parte sui, tunc ex parte Ecclesiæ, cujus ille curam habere debet fidelem. Ex parte sui, ut Theologus bonus sit; ex parte Ecclesiæ, ut ipsi benè sit. Ut a. Ecclesiæ benè sit, necessum est, ut Doctor Theologus ei benè præsit & utiliter proficit. Ut a. benè præesse & prodesse

Lectionis
necessitas

E

prodesse

prodesse possit, necesse est, ut in omnibus illis, quæ Praxin Ecclesie spectant, debito modo versatus sit. Notanter autem dicitur, debito modo, ne fortè vel excessus vel defectus subsit; utriq; enim, & excessui & defectui, ista restrictione mederi volumus.

THEOREMA XXII.

Regule. 4. *Notanda sunt Regulae Lectionem Juris Canonici dirigentes.*

Tandem modus lectionis explicandus est, quod fit ponendo certas quasdam Regulas, secundum quas lectio dirigatur & instituat. Sic igitur Regula I. *Qui cum fructu evolvere cupit Ius Canonicum, eum notitia Scripturae & purioris Fidei, atq; in lectione Patrum quodammodo versatum esse oportet.* Ad summum igitur tria in consilium adhibenda sunt, cum feliciter progredi volumus in lectione Juris Canonici. 1. Scriptura. 2. Ecclesia. 3. Ratio. Quod ipsum etiam Augustinus tangit l. 4. de Trin. c. 6. Nemo Christianus contra Scripturam, nemo pacificus contra Ecclesiam, nemo sobrius contra rationem aliquid sentit aut statuit. In lectione igitur Juris Pontificii vel maxime tria ista attendi debent & quasi fundamentum & basis strui, cui lectio ejusmodi innitatur. Sunt enim illa omnis veritatis norma, quibus perspectis & in consilium adhibitis veritas latere & ignorari non potest. Multo enim citius errata videt, qui verum habet cognitum; qui verum & rectum ignorat, facile decipitur à falso. II. *Non credendum est statim, si quedam citentur vel ex Scripturis, vel ex Patribus, vel ex Conciliis & Historiis: sed ponderentur citationes, & num vere vel falsa sint, inquirendum diligenter.* Saepius n. id accidit, & in eo ipso Pontificii nunquam & nusquam satis sibi constare videntur. Igitur arripiamus illud Apostolicum, 1. Thess. 5, 21. *Omnia probate, hoc enim sapientiae est, & quod bonum, retinete, hoc constantiae.* III. *Considerandum insuper, à quibus, quo tempore, loco & sine Canones sunt scripti, cum ex talibus circumstantiis genuinus eorum sensus haut raro innoscit.* Ergo 1. autorem consideremus, num Græcus vel Latinus, num purus vel non purus. 2. consideranda circumstantia temporis, num Canon sit scriptus in primordio Ecclesie, vel sequentibus temporibus. 3. circumstantia loci, num,

num Canon sit confectus in Orientali vel Occidentali Ecclesia, num etiam restrictus sit ad certam aliquam Ecclesiam. 4. finis, cur sit promulgatus, an pertineat ad universalem Ecclesiam, an ad particularem. IV. *Lectio Iuris Canonici & Canonistarum sit parca & modica, non multa & luxurians.* Non enim consultum est, ejusmodi tractationibus diu inhærere, sed potius aliorum & graviorum tractationem sectari. V. *Discrimen datur inter ipsos Iuris Canonici libros, quos inter Decretum multò purius est & melius Decretalibus.* Ideò illud præcipue legamus, istis vel neglectis vel obiter tantum & cursorie consideratis. Confecta enim sunt Decretalia illo tempore, quo Jure Consulti Ecclesiam invaserunt illamq; corruerunt, quod factum seculo duodecimo & decimo tertio post Christum, ubi præter Monachos etiam Legales invigilabant Studio Theologiæ. Cœpit enim tunc studium Juris florere; ubi cum omnia esset plena Casuisticis, cœperunt ipsi Juri præesse gubernationi Ecclesiasticæ. Quo tempore status Ecclesiasticus mutatus est in Politicum, & status Politicus in Ecclesiasticum. Unde Decretalia minùs pura sunt, ac sunt Decreta Gratiani. VI. *Quæ notatu digna in Iure Canonico visa fuerint, ea vel referantur ad Locos jam antea paratos, vel conficiantur peculiaria collectanea.* Si priorem viam intendis, tunc singula notabilia referantur ad suos locos & classes, ad quas pertinere visa fuerint, scil. Casualia & Ritualia ad Locos Casuum, Doctrinalia ad Locos Practicos, &c. ut fuit in aliis. Si posteriorem, tunc peculiare tituli sunt constituendi, ad quos omnia notatu digna referenda. e. g. 1. notari possunt Solæcismi. 2. ineptæ probationes. 3. Scripturæ detorsiones & falsæ expositiones. 4. absurdæ & nimis remotæ Allegoriæ. 5. veræ explicationes dictorum. 6. falsa dogmata contra Scripturam. 7. vera & *εὐραπία* dogmata. 8. Regulæ Pietatis. 9. Sanctiones Ecclesiæ utiles. 10. Impia & blasphemata decreta. 11. Leges Politicæ. 12. Ritus & Ceremoniæ superstiosæ. 13. Ritus & Ceremoniæ fructuosæ. 14. ea, quæ faciunt ad primatum Papæ. 15. Depressio Magistratus. 16. Contemptus Laicorum. 17. variæ dissensiones, contradictiones; varia convitia, dictoria, & si quæ sunt alia, quæ lectori obviam repossunt.

Præcipue
legatur De-
cretum Gra-
tiani.

Modus col-
ligendi.

Atq;

Repetitio &
Conclusio.

Atq; sic haectenus, DEI Omnisapientis indultu,
de mediis quatuor Theologiae accuratae Mediis tracta-
tum fuit, scil. de Consiliorum Theologorum lectio-
ne & collectione, de Historiae Ecclesiasticae cognitione,
de Patrum lectione & evolutione, & tandem de Theo-
logiae Scholasticae & Casisticae cognitione, quaeq; ad
singula ista Media spectare ad eorumq; ἐξήγησιν facere
visa sunt, breviter & leviter adponenda & ex-
ponenda fuerunt. In quibus jam sub-
sistendum & acquiescen-
dum.

*DEO supremo studiorum nostrorum
Auctori & Directori
Laus Honor & Gloria.*




05 A 2474


ULB Halle

3

004 545 389







B.I.G.

Farbkarte #13

M THE-
M
O V.
IEN-
IOR ME-
T ACROA-
TIONIS

annotatio,
itio,
o,
usidica cognitio.

no
IS MEIS-

& P.P.
SOLDUS,
US,

ri.

Gormanni,

5

